

Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli ad Romános 8, 8-17

Fratres:

- ⁸ Qui in carne sunt,
Deo placere non possunt.
- ⁹ Vos autem in carne non estis,
sed in Spíritu,
si tamen Spíritus Dei hábitat in vobis.
Si quis autem Spíritum Christi non habet,
hic non est eius.
- ¹⁰ Si autem Christus in vobis est,
corpus quidem mórtuum est propter peccátum,
Spíritus vero vita propter iustítiam.
- ¹¹ Quod si Spíritus
eius, qui suscitávit Christum a mórtuis,
hábitat in vobis,
qui suscitávit Christum a mórtuis,
vivificábit et mortália córpora vestra
per inhabitántem Spíritum suum in vobis.
- ¹² Ergo, fratres, debitóres sumus non carni,
ut secúndum carnem vivámus.
- ¹³ Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini;
si autem Spíritu ópera córporis mortificátis, vivétis.
- ¹⁴ Quicumque enim Spíritu Dei agúntur,
hi filii Dei sunt.
- ¹⁵ Non enim accepístis spíritum servitútis
íterum in timórem,
sed accepístis Spíritum adoptiόνis filiórum,
in quo clamámus: «Abba, Pater!».
- ¹⁶ Ipse Spíritus testimónium reddit una cum spíritu nostro
quod sumus filii Dei.

¹⁷ Si autem filii, et heredes:
heredes quidem Dei, coheredes autem Christi,
si tamen compátimur,
ut et conglorificémur.

Verbum Dómini.